vix vllus lapſum ex abrupta trahere liberare
et eruere conaretur, ſed audite audite mirandã
huius animalis fidelitatem; poterat omnia latratu
implere donec quiſpiam adueniret, poterat
amicis et conſanguineis triste ſpectaculũ ſignis
et indicijs indicare, nec hoc eius ſinceræ et veræ
fidelitati in herum ſatis eſſe potuit, quid ergo?
ſe ipſum animal hoc humanæ ſalutis amantiſſimũ, vitæ
propriæ negligens, ſe ipſum inquã in horrendam
foueæ voraginem præcipitat, libero exilio auxiliũ
daturus, dominum ſuum dentibus apprehenſum extracturus
quod etſi non perfecit tamen magnum est quod
voluit, nihil enim ditius offertur bona voluntate.
hunc canem redivivum illum Romanum Curtium
dicere non erubeſco: hic coruſcantibus ſeptus armis
in hiatum equitauit, ille inermis ſe in mortem pro
ſalute nutritii dedit, hic incluſus in ære latebat,
ille in re ipſa fidelis patebat; hunc generis
nobilitas, reipublicæ ſalus, patriæ miſeria, Roma